

MAXIMINUS Ep. Gothorum Arianus (saec. IV-V)

SERMO

PLS
I, 732

I. [...] *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis.*¹ Deus homo factus *Emmanuel*, quod interpretatur *Nobiscum Deus.*² O res mirabilis! Pro nobis Dominus omnium castae virginis ubera suxit et de sancto matris pectore lactei fontis dulcia fluentia potavit, ut nos pietatis suae fontibus et caelestis doctrinae fluminibus inrigaret. Pascitur ab ancilla sua, cuius ipsa beneficio pascetur. *In praesepio ponitur, pannis involvitur*³ [...].

1390

Ergo nascitur de virgine homo propter hominem, et filius Dei efficitur filius hominis ut filios hominum faceret filios Dei. Portat virgo mater parvulum in manibus, cuius omnis mundus virtute sustinebatur; et quae non noverat nuptias nec coniunctionem viri didicerat, didicit generare, amplectitur, osculatur, adorat potentem Dominum. Ab angelo audierat et ex ipso partu didicerat quia talem sibi, ut diximus, partum non nisi solus efficeret unigenitus in caelis unigenitus in terris, Deus ex Deo partus ex virgine, Deus sine matre homo sine patre, quia Deum habet patrem, virginem matrem, ex patre ante saecula, ex matre in saeculo.

PLS
I, 733

[...] Dominus veniens in corpore sub silentio humilitatis ex sancta virgine carnem sibi adsumit humanam, et velut sponsus procedit de thalamo suo; sic enim scriptum est *sicut sponsus procedens de thalamo suo.*⁴ De quo putamus thalamo? De utero scilicet virginali. Uterus virginis thalamus Christi: ibi iungitur sponsus et sponsa, ibi iungitur verbum et caro, verbum sponsus, caro sponsa. *Procedit de thalamo suo*, ut cetera membra sponsae colligat et in una gaudeat ecclesia.

1391

Quid ergo, fratres mei? Antequam Dominus Iesus in thalamo, id est in utero virginali, iungeretur sponsae, nonne *verbum erat apud Deum et Deus erat verbum?*⁵ Ergo quando coepit esse in utero virginis, non erat apud Deum? Unde ergo gaudebant angeli, unde caeli regabantur? Ergo quando in utero virginali erat, verbum non fuit apud patrem? Immo apud patrem et in utero virginis, immo totus apud patrem et totus in utero virginis; quia Dominus noster verbum Deus totus est apud patrem, totus in caelis, totus in angelis, totus in utero,

¹ Io. I, 14.² Matth. I, 23.³ Lc. II, 12.⁴ Ps. XVIII, 6.⁵ Io. I, 1.

totus in ecclesia, * totus in carne. De ipso quodam in loco Scriptura ^{*734} dicebat *fraternus meus candidus et rubeus*,¹ *candidus* quia Verbum est Dei, *rubeus* quia partus est virginis.

Ergo hodie parvulus et humilis ingressus est mundum, et hodie quidem secundum hominem homo natus est ex virgine, sed « ante omnia saecula genitus ex patre », qui matrem corpore, virtute referat patrem, unigenitus in terra unigenitus in caelo, Deus ex Deo, partus ex virgine.

BACHIARIUS Monachus (saec. IV-V)

EPISTOLA AD S. MARCELLAM VIDUAM

- 1392 [...] Huius ergo mysterii sacramentum in decimo mense, hoc est, ^{PLS} trecentesimo dierum numero scimus esse completum; ubi nobis par- ^{I, 1040} turientis sanctae Mariae gemitus imitandi sunt, ut velut intra occultam vulvam uteri, sic intra secretam monasterii cellulam aliquid formetur in nobis, quod proficiat ad salutem, et in decimo mense novum opus ex fructibus nostris, quod mundus miretur, appareat. Si enim illa incorrupta et sancta Maria non sine gemitibus ac suspiriis spem suae salutis effundit, qualiter nobis aestimas laborandum, quos serpentis decepere consilia, ut aliquid tale valeamus imitari? Sed forsitan dicas: Cur me vanae spei pollicitatione frustraris? Solis Christum parere virginibus licet. Nolo enim gratiam Dei intra unius personae angustias claudas. Aspice enim ubi apostolus peccatoribus et praevaricatoribus dicit: *Donec Christus formetur in vobis*.² Sed memento quia sancta Maria, cum hoc opus exercuit, valde secretum locum ac solitarium requisivit: nullus ei minister, nullus comes fuisse describitur; sed et <si> beatus Ioseph contubernium praestaret officii, tamen inter parturientis gemitus quid nisi abfuisse credatur? Exhinc autem metire, quam secretum et quietum locum debet eligere, qui Christum desiderat parere, cum etiam ille, qui adventus illius praedicator est, non nisi in heremo haec adnuntiasset dicatur.

PROFESSIO FIDEI (383/384)³

- 1393 [...] Filium quoque credimus in novissimis diebus natum esse de ^{PL} Virgine et Spiritu sancto, carnem naturae humanae et animam sus- ^{20, 1028} cepisse. In qua carne et passum et sepultum, resurrexisse a mortuis

¹ Cant. V, 10.

² Gal. IV, 19.

³ Multi viri docti negant hanc professionem Bachiarii esse, alii affirmant.

● PLS I, 733, 734.